

§. V I.

Fontes sua indigent purgatione; Societas perniciofis se purgat.

1894 Quinto, sua indigent fontes purgatione, ut aqua fluat clara & limpida. Fontes (ait Chrysoftomus Hom. 21. in Acta Apost.) quod magis purgantur, clariores sunt. Fons quidem est Societas Jesu nostra vitalis omnino ac pellucidus; sed purgatione quandoque indiget, dimissione videlicet seu contumacium, seu perniciosorum hominum, etiam postquam Religionis votis rite se obstrinxerunt. Hoc lymphas suas purgandi remedio felicissime vitur, id laudantibus & approbantibus summis Pontificibus, Gregorio praesertim XIV. in Bulla data anno 1591. Sic Jesuiticus fons semper manet purissimus, limpidissimus, quem ejusmodi homines turbarent, obscurarent, ac caenosum redderent. Sapienter admodum Joannes Clarius Doctor Theologus in Academia Lovaniensi, cum quidam e nostris Concionator egregius esset dimissus; Jesuita, inquit, non solem aquam mundam effundere. Contumaces, & flagitiosos ejiendo Familia nostra, se limpidiorem reddit, & clariorem, uti aqua caeno turbida nitidior fit amoto caeno. Quod illa refero Salomonis verba Prov. 25. 26. Fons turbatus pede, & vena corrupta, justus cadens coram impio. Hic per impium, diabolum intelligit Beda, cui alii subscribunt. De justo est sermo, qui justus cum esset, diabolo impellente ruit, labiturque in graviora delicta. Hic in ruinam actus fonti est similis, quem exturbat muli pes, aut belluae transeantis, vel quem conspurcant injectae fordes; seu cujus vena, sive aquae ductus corrumpitur, obstruitur, evertitur. Turbant sane pede belluino & lutofo clarum Sodalitii nostri fontem, qui Religiofi cum sint, ad Religiofas leges, & proprium institutum sese componere nolunt, perniciosi alii, animo ac voluntate a Religione deficientes. Vel unus ex his, diabolo impellente, corrumpens, ad instar fontis pede turbati, & aquae ductus corrupti, obstructi, excisi, disrupti extat: & cum haec judicii humani seu perversitas, seu infelicitas sit, ut quod unus Religiosorum peccavit, adscribat omnibus; hoc uno fonte turbato, hoc uno aqueductu obstructo, exciso, disrupto; totus fons Jesuiticus, totus Jesuiticus aqueductus, exturbatus, conculcatus, obstructus, excisus, disruptus existimatur. Ut vero huic feliciter occurratur malo, & totus fons limpidissimus maneat, & aquae ductus redintegratus, Societas nostra hoc sepurgandi remedio utitur. Lege hac de re pulchras notationes apud nostros Velazquez inc. 3. Epistolae ad Philip. vers. 11. Notat. 2. & 3. Sherlogum vestigatione 9. in Cantica Sect. 2. & 3.

§. V I I.

Christus quasi platanus, in Societate exaltatus, per omnes Jesuitarum functiones.

1895 Igitur in hac mystica Societatis Jesu platea, juxta manalis fontis aquas, quas hactenus commendavimus, exaltata praed-

dicatur in primis corporata Dei Sapiencia quasi Platanus: neque exaltata modò, sed educata, nutrita, evecta à lymphis jugiter profluentibus. O quam multa paucis brevavit Sira-cides! Nimirum agnosces si sedulo expendas unius Gilliberti Abbatis Cisterciensis verba sermone quinto in Cantica. Sapiencia, Gillibereus quasi Platanus, inquit, exaltata sum juxta aquas in plateis. Non in plateis solum, nec solum juxta aquas, sed juxta aquas, & in plateis exaltata sum, inquit. Ut lata prodeant germina sapientiae, quantum putas cooperatur, & otium liberum, & irrigatio crebra sanctae meditationis? Jure quasi platanus exaltatur, quae sic plantatur. O beatas vere plantas, in quibus Sapiencia sic crescit, sic exaltatur, & supereminet perspicuam se ostendens, & non indigens quari. Quid pro gloriosa Jesu exaltatione in Sodalitio nostro luculentius? Etenim per plateas otium mentis liberum intelligit ad usum & exercitium virtutis, ut ipse explicat: per irrigationem, sanctam meditationem. Utrumque in nostro Ordine maxime resplendet. Atque adeo omnium opportunissimus locus extat, in quo incarnata Sapiencia, quasi platanus, exaltetur, educatur, enutriatur; ut ex illa tot, tamque speciosa prodeant germina sapientiae; quot & in nostro Sodalitio numerantur sapientissimi Doctores; & ex illo prodiere ad Ecclesiae tum universalis, tum Religiofae gloriam, viri sapientes. Nostra ergo Societas platea est irrigua, in qua sapientia sic crescit, sic exaltatur, & supereminet perspicuam se ostendens & non indigens quari? Adeo per omnes ejus functiones obvius extat Christus, Christianaque omnis sapientia, ut quari non indigeant. Propterea subdit Gillibertus, quasi pra oculis haberet Sodalitium nostrum Jesu titulo insignitum, & nihil ferè sonans aliud nisi Jesum. Ubique venerabile est nomen Jesu. Qui penes te sapientiam querit, assidentem inveniat illam in ipsis foribus tuis, in ipsis Societas ex- sensibus, in modestia, & compositione hominis exterioris. Nam quasi fores sunt, per quas interioris prodeunt habitatoris indicia. A fructibus cognoscitur, si apud te Jesus moratur. Nonne haec in Familiam nostram signatissime cadunt, adeo exteriori etiam edificationi, & modestiae attentam, ut vel in corporis honesta compositione ipsum Jesu nomen, tanquam oleum effusum sentiantur? Nam odorem notitia sua manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus. 2. Cor. 2.

1896 Sed quam merito exaltata praedicitur corporata Sapiencia in Sodalitio nostro, quasi Platanus, singulatim expendamus, juxta superius adducta de Platani dotibus. In primis Platanus commendatur ab altitudine, à latitudine, à radicibus latissimè diffusis. Etenim Jesu Societas, coactis in unum virtibus, eò praesertim spectat, ut Christi gloria altiùs in dies assurgat, longè lateque diffundatur toto terrarum Orbe, & radices ubique agat latissimas, firmissimas. Verè in illa, & per illam incarnata Sapiencia, sicut Platanus exaltata, educata, evecta, dilatata. Ut enim Rabanus Maurus Abbas Fuldenfis explicat, exaltata dicitur; quia redemptionis nostrae mirabile Sacramentum per praedicationem Evangelii innovit cunctis per orbem nationibus. Sic etiam Glossa Ordinaria. Pro me sententiam dicent civitates omnes,

omnes, Provinciae, Regna, maria, & vastissimae regiones, quae Jesuitarum sudoribus, multoque sanguine irrigantur, studiis excoluntur, perecurruntur pedibus, illustrantur scientiis, & fidei lumine; ut ibidem Christi in crucem sublata vexilla defigantur, contritis daemonum simulachris, templisque falsorum Nummiam excisis. Unus Xaverius nostri Ordinis strenuissimus Dux plures Christo aggregavit Ethnicos à Christi cultu alienos, quam suos traduxerunt ad errores Haereticorum universi à Servatore passo in hunc usque diem, ille per decemium, hi per decem & sex consumpta longissima saecula; uti Thomas Bozius rectè observat libro sexto, de Signis Ecclesiae, capite tertio. Jure igitur potiori de Christi imperio per Xaverium, perque ejus Socios, & Apostolicos Societatis nostrae viros tantopere diffuso dixerim, quod Daniel de Nabuchodonosoris Regno scripsit capite quarto, versu septimo. Videbam, & ecce arbor in medio terrae, & altitudo ejus nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas ejus contingens caelum: aspectus illius erat usque ad terminos universae terrae. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea, &c. Licet enim Christus Dominus, quo tempore vixit inter homines, humilis, pauper, & virorum novissimus, quasi virgultum, & quasi radix de terra sitiente, fuerit; plantatus tandem in nostro hoc Sodalitio ad instar arboris apparet sublimis, atque robusta, cujus ad caelum usque cacumen attollitur, quaeque sic se in omnem partem latè diffundit, ut omnes occupet terrarum terminos.

§. V I I I.

Schola, & Academia à Jesuitis erecta & illustrata.

1897 Rufus, opportunissima creditur Platanus, umbra ad Disputationes, ad Gymnasia, ad Academias, ut supra ex Plinio, & aliis statuimus. Porrò sub Incarnatae Sapientiae umbra, à qua omnis in nos sapientia dimanat, tot in nostra Societate erectae Scholae, tot erectae Academiae, ubi divinae humanaeque scientiae, & humaniores litterae publice edocentur: in quibus functionibus illud potissimum Ordo noster spectat, ut Christiana pietate imbuantur discentes, vel à tenera aetate. Videtur Sira-cides noster ad domos doctrinae & publicae gymnasia alludere, quae in nemoribus & quercetis veteres collocare solebant. De quo, aliis interim amissis, illud extat in sacra Pagina testimonium, & pro Sodalitii nostri hominibus docendi muneri additis opportunissimum, Genes. 21. 33. ubi de Abrahamo multarum Gentium Patre, id est, Magistro, sic habes: Plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei aeterni. Non arbores plantavit quasi alteri saeculo profuturas, vel quasi per aetatem, agri colendi studio teneretur; sed ut in ea loci amoenitate viatoribus & peregrinis spirituales in primis cibos sapientiae, & doctrinae elargiretur, deque uno Deo colendo salutarem disciplinam edoceret: ut explicant communiter Interpretes cum Thargo Jerolymitano, sive Jonatha Syro expositore. Quod etiam firmatur ex Geneleos cap. 12. 6. ubi dicitur P. [I]ldeph. de Flores in Eccles.

Abrahamus pervenisse usque ad locum Sichem, usque ad corvallem illustrem. LXX. Strina ere- usque ad quercum excelsam: id est, usque ad xit. locum robustis ac proceris arboribus spectabilem. Hebraicè est Elen-More; id est, usque ad quercum Doctoris, vallem, seu nemus Praeceptoris, sive Padagogi, adolescentes quidem discipulos bonis literis imbuentis. Ibi suam doctrinae domum, & gymnasium erexit: cui sanctus Patriarcha tantum lucis, & splendoris suae conciliavit doctrinam, ut propterea (teste Masio in Josue) vallis illustris Academia illa sit nuncupata.

1898 Et quidem, constans est Hebraeorum traditio, ab Abrahamo non solum Magistri munus in ea celebri Academia corvalis Mambre piè susceptum, sed, ut commodius virtutum simul & litterarum rudimenta à primis annis abolefcentibus traderet, in propriis aedibus collegium construxisse, in quo sub disciplina sua, & servorum suorum, filios domi natos, aliosque aliunde doctrinae causa adventantes, bonis moribus, & litteris imbuebat. Quorum tam copiosus erat numerus, ut bellum derepentè contra Babylo-nios commissurus, non alios in praedium eduxerit, quam sui Collegii, Academiaeque discipulos, ut eadem Hebraeorum traditio memoriae consignavit; ostenditque haud obicure illud Geneleos cap. 14. 14. Quod cum audisset Abraham, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos usque Dan. Quos hic Vulgatus vocat expeditos, Hebraei ex Originali voce appellant tyrones discipulos, sub Magistri disciplina operam dantes. Unde alii legunt: & elegit initiatos suos, sive tyrones suos, aut incipientes suos. Quos expeditos noster vulgatus Interpres transtulit, id est, Scholasticos (quod Graecum nomen Latine vacantes sonat) utpote qui immunis, ac liberi ab aliis domi Abrahæ ministeriis, studis semper, litterisque vacabant.

1899 Hic observa pro Scholasticis nostris sub Nominis Jesu umbra discuntibus; eo 318. Societatis vernaculorum mysterio obscurè & symbolice praesignificatum salvificum, ac litterarium Jesu Nomen. Ut enim scite noster expendit Cornelius, T. quod Graecis 300. significat, signum Crucis: I. & H. quae significant 10. & 8. initium sunt & abbreviatio Graeci Nominis Jesu, si rō H. T. inscribas hoc modo IHS Iesu Nomen. tantum enim deest littera S. ut sit plenum Nomen Jesus. At nomen Jesu integrum nonne Societatis Jesu scholas frequentantibus concessum? Ipsi sunt, qui ex glorioso hoc vocabulo singulariter cognoscuntur; & sub tantae Platani umbra bonis literis & Christiana pietate imbuuntur. Certè nuncupari Jesu nomine Sapiencia exoptabat, & sic ab illa auferri gravissimum, quod patiebatur, sterilitatis opprobrium: apud Isaiam cap. 4. 1. Tantummodò invocetur nomen tuum super nos: auser opprobrium nostrum. In hunc enim sensum verba trahit Origenes Hom. 3. in Isaiam. Quod est nomen Sapiencia? Jesus. Quid est, invocetur nomen tuum super nos? Ego sum Sapiencia, volo tuo nomine vocari, ut ego Sapiencia dicar Jesus, ut intellectus, & consilium magnum, & fortitudo, & scientia, & pietas, & timor Dei nominentur Jesus, ut omnia in omnibus nomen tuum fiat. Reverè abstrulit

Joan. Clar.

Prov. 25. 26.

Gillibereus

Bozius.

Dan 4. 7.

Gillibertus

Societas exterioris. Nam quasi fores sunt, per quas interioris prodeunt habitatoris indicia. A fructibus cognoscitur, si apud te Jesus moratur. Nonne haec in Familiam nostram signatissime cadunt, adeo exteriori etiam edificationi, & modestiae attentam, ut vel in corporis honesta compositione ipsum Jesu nomen, tanquam oleum effusum sentiantur? Nam odorem notitia sua manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus. 2. Cor. 2.

Christi gloria per se-suitas longè lateque diffusa.

Gen. 12. 6.

Gen. 14. 14.

Pro his, quae Iesu Nomen frequentant.

IHS Iesu Nomen.

Nuncupari Iesu nomine Sapiencia exoptabat, ad numerum sam Sapiencia prolem. Mat. 4. 1. Origenes.

abstulit opprobrium Jesus. Igitur statim atque hoc sanctitatis, & Sapientiae incarnatae nomen Sodalitium nostrum assumpsit è caelis sibi inditum; Sapientia & humana & divina numerosam generosamque ex Jesu concepit prolem, hoc ipso nomine insignitam, & obumbratam; nam ex Philone libro de Decalogo; *Semper nomen rem, tanquam umbra corpus sequitur.*

Philo.

§. IX.

Impensa Jesuitarum opera in Eucharistici convivii cultum, & frequentationem.

1900 **D**Einde, locus, cui Platanus umbram administrat, est sanè ad epulaciones, ad convivia aptissimus, ut supra statuebamus. Hoc certè in Eucharisticam mensam bellissimè cadit, cujus crebrum, ac frequentem esum Societas nostra in Christianam Republicam, impulsore Deo, invenit. Ipsa magno ubique ornatu & pompa caeleste hoc convivium sub umbra Christi religiosissimè apparat; signatim verò dum menstrua celebratur communio, & Bacchanaliorum tempus, non absque confertissima ad hoc convivium confluentem multitudinem, atque ingenti animarum fructu. Jesuitæ proinde sunt, quos incarnata Sapientia mittit, ut ancillas suas, ut clamitent in plateis, & ad exitus viarum, vocentque quoscunque ad Eucharisticae mensam manducatos immortalitatis alimoniam. Jesuitæ sunt novissimi illi Servi, quos bonus Paterfamilias mittit, ut convivas requirant, qui cum Principe recumbant, qui Dominico vescantur corpore, qui caelesti affluescant mensæ. Jesuitarum Dux Ignatius Angelus ille est à sole, tanquam à suggesto ad coenam Agni invitans. Jesuitas, ut reor, illud spectat Davidicum vaticinium Psalm. 67. v. 10. & 11. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuae; & infirmata est: tu verò perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

Prov. 9. 5.

Matt. 22.

Apoc. 19. 17.

Ps. 67. 10.

De Eucharistico convivio litterarius sermo est, quod appellatur cum intuitu ad Manaa, *pluvia voluntaria*: aut ex Hebræo, *pluvia desiderabilis*, virtutum, potentiarum; *pluvia sanctissima*. Pro segregabis, Hebraicè est *nuph*, quod significat *elevare*, atque de ea maxime elevatione dicitur, *qua res elevatur à sacerdote*, quæ Deo offerebatur. Propterea S. Hieronymus, quem Pagninus, & alii sequuntur, vertit: *Pluviam elevasti*. In Eucharistiam propriè cadit, qui *cibus elevatus & elevationis est*, cum è terrena in divinam substantiam transubstantiatione commutetur: ac proinde elevans dignè fumentes è terrenis in divinos homines. Est itidem Sacrificii unicum oblatum Deo Sacrificiorum veterum multissimum vices gerens & superans infinitum. Ideò appositum David huic pluviae verbum sacrificandi *elevabis*, scilicet per ministros, vel; ut vertunt Pagninus, & Caietanus, *elevare facies*. Quò spectavit vulgatus vertens *segregabis*, res enim Sacra dicitur in Sacra Scriptura frequentissimè segregata, separata.

1901 Etenim dum crebrò, & frequenter primitivi Orthodoxi ad hanc accedebant mensam; dum quotidiana Synaxi fruebantur, quemadmodum Actorum secundo, non indubiè significatur, vigeat in illis omnis sanctitu-

do, sobrietas, modestia, cæteræque charitates; ubi verò ab hoc salutari convivio abstinere fideles, robore sunt spoliati, infirmati, debilitati fame! Sed *perfecisti tandem*, denuo *fundati, edificati, formati, erecti, roborati, stabili, correcti*; Hebræum enim verbum, quod respondet, *perfecisti*, hæc omnia præ se fert significata. Verùm per quos, & qua id ratione factum? Satis perspicuè ostendit Psalter, cum subdit: *Animalia tua habitabunt in ea*. Pro animalia, est Hebraicè *Haiah*, nomen collectivum cum verbo plurali, id est, *statio, congregatio, castra*. Montanus, cui multi applaudunt, signatissimè ad rem nostram effert: *Societas tua, seu, viri Societatis tuae habitabunt in ea*; in ea nempe hereditate, quæ ob caelestis alimoniae immemoriam infirmata, ac debilitata erat. Nonne tibi videtur Vates digitum intendisse in nostrum Ordinem, quem Societas Jesu appellat, militiam, stationem, congregationem? Hujus planè Jesuiticæ militiae prima cura eò spectat, ut populum Christianum ab hostibus internis, externisque vehementer oppugnatum, afflictum, debilitatum, infirmum, desipientem viribus, & passim collabentem erigat, stabiliat, & quasi adhibito pondere roboret, & veluti à fundamentis firmissimè ædificet, restauret, ac denuo quodammodo formet, corrigat defectus, recta dirigat, instruat contra adversa, suggerat subinde novas vires, ac tandem sanctitatem perfectam conciliet. Quod quidem non aliter præstat, nisi frequentè inducta Dominici corporis manducatione, cujus mensam Deus ipse splendidissimè apparat impensâ Jesuitarum operâ. Ideò subtextit Psalmus: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; victum videlicet vitalissimum, panem vitæ parasti stabiliter; mensam firmiter fixisti, lautissimum apparasti convivium, quo mirè refecta ac recreata est hereditas tua, in dulcissima & amabilissima providentia tua, per viros Societatis tuæ, in qua mirificè exaltaris quasi platanus, cujus umbra ad convivia, & epulaciones extat opportunissima.

§. X.

Jesus suo Sodalitio pelta, & scutum.

1902 **P**latanus itidem quot habet folia, tot *habet scuta*, uti observant Hugo, & multi alii: folia quippe ejus, ob amplitudinem & formam suam, convenientissima extant ad obtegendum, & protegendum. Exaltatum dixeris Christum Jesum in nostro Sodalitio ad instar platani foliis suis undique scutulatae; ipse enim Ordini nostro, faventibus in illum persecutionibus, confugium præstat; asilum, protectio, pelta & scutum est, ut experientia ipsa abundè docemur. Sic superamus facillè quidquid terribile, & metuendum est, victores atque incolumes evadimus. Certè in nostram Jesu Societatem concinnè illud cadit Psalm. quod dragesimo quarto, versu decimo: *Asiit Re-*

Hugo.

Ps. 44. 10.

gina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Ex Græco legas cum Chrysostomo & aliis: *instar columnæ firmiter stetit*; quantumvis vehementer divexata. Et cum vox, *astare*, militare sit, ad milites statarios, & præsidarios spectans (ut claret ex Nahum

secundo,

secundo, versu septimo) Jesuitæ indignantur ut statarii Jesu milites, ut Ecclesiæ præsidarii; quos adversitas nulla à loco & statione sua valeant dimovere, nedum dejicere. Sed quo id, quæso, præsidio suffulti? E vestigio explicatur: *circumdanda varietate*. Ex Hieronymo efferas tum in Psalterii propria translatione versu decimo quinto, tum in Ezechielis caput vigesimum septimum versu decimo sexto, *Asiit in scutulatis*, vel *circumdanda scutulis*: quæ sunt propriissimum divinæ tutelæ, & incolumitatis symbolum, qua Societas nostra undique protegatur, & communitur, ut inconcussa persistet adversus hostiles incurfus. Ipsa proinde cum Salomone gloriatur Cantic. 1. versu 13. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi*. Hebraicè est, *Botrus copher*, à radice *caphar*, quod significat (nostro id observante Sherlogo ex Pagnino & Mercero) *tegere, operire, occludere*. Unde *Botrus copher* erit *Botrus operitorii, & velaminis*: quia arbor esse existimatur, de qua Plinius libro duodecimo, capite quinto, *eius foliorum latitudo Peltæ effigiem Amazoniæ habet*. Bellè igitur Sodalitium Jesu nostrum gloriatur, suum sibi esse Jesum Botrum operitorii & velaminis, in quo & saporem ultra mel dulcem habeat, & folia clypeorum instar, quibus obumbretur, & protegatur in vineis Engaddi, id est, in fonte, seu oculotentionis, tribulationis & doloris; ut Theodoretus, Orgelitanus, & Pfellus interpretantur.

Cant. 1. 13.

Quid Botrus Cypri, seu Copher.

Plinius.

Societas gloriosis edomnat triumphis quovis Ecclesiæ hostes, ore calamo & visâ.

1903 Platanum insuper, ejusque folia adversari vesperilionibus, noctuis, & scorpionibus, ex Plinio & aliis superitis statuumus. Etenim Hæreticos per Vesperilionem & noctuas typicè designari palam est: ut qui nocturnam errorum caliginem appetant, versentur in tenebris, Catholicae veritatis splendorem minime ferant, in nocte acie oculorum polleant, in luce cæcutiant. Eapropter vesperilionem & noctuam à sacrificiis arcebantur Levit. 11. ut observat Novatianus de cibis Judaic. cap. 3. In nostro Sodalitio summo exaltatum Christum Dominum dixeris, vel ea potissimum de causa, quasi platanum; quòd per viros Jesuitas doctrinâ & moribus scriptis, & disputationibus excellentes ubique & semper hisce noctuis & vesperilionibus vehementer adversatur, contra Hæresim dimicatur, glorioseque edomat triumpho. Quis ignoret? Hinc spectat Historia Barac & Deborah, cujus parallelam collationem habes supra à n. 1740. pro Dominicanæ Familiae commendatione, pro illius Scriptoris, Doctoribus, cæterisque prælustribus viris Dominicanis, Hæreticos, hæreses, & errores detriumphantibus, obarmatis Dei verbo & spiritu, sapientia & doctrina, scriptis, & scriptoris calamis. Certè in ea Historia bellissimè adumbratum S. IGNATIUM Protoparentem nostrum inspicias, ejusque Jesuiticam Familiam Christo Jesu strenuè militentem adversus Ecclesiæ hostes importunos.

§. XI.

Gloriosissimè exaltata Deipara in suo ac Jesu Religioso Sodalitio.

1904 **S**ocietatem JESU eo divino consilio maxime conditam, ut in ea magna

Dei Mater & Virgo gloriosè admodum exaltaretur, quasi *Platanus in Plateis juxta aquas*, abundè probant tum eximia ipsius Deiparæ in Ducem nostrum Ignatium, ejusque Sodalitium beneficia, tum utriusque in clementissimam Matrem obsequia. Atqui vix Ignatius novum hominem induerat, cum ecce illi ante Mariæ effigiem prostrato intempestâ nocte, Dei Mater apparet infantem Jesum ulnis gestans, eximia specie ac fulgore nitens. Blandè illa tyronem Christi alloquitur, immenso cumulat gaudio, liquidissimâ perfundit è Cælo dulcedine, & signatum castios ei instillat affectus, ac perfectam castimoniam imprimi, non fugacem, non fluxam, sed stabilem, perpetuoque duraturam, omnino in posterum extincto dyscolo libidinis cogitatu, & frænata carnis rebellionem. Quid mirum? quandoquidem (observatore Ambrosio lib. de Institut. Virg. c. 7.) *Virgini tantâ gratia, ut his, quos viseret, integritatis insigne conferret*. Insignem Ignatio castitatem impressit, quasi *insigne*, signaculum, characterem perpetuam in Deiparam pietatis, quo ipse, ipsiusque Familia gloriosè insigniuntur; ut in eis Maria exaltata, dilatata, nutrita, erecta quasi Platanus appareat, quam *caelibem* arborem Horatius cecinit, & *castam* Brixianus appellavit supra n. 1631. Visitavit olim Jesu gravis Virgo nondum natum Baptistam, cui copiam suæ præsentiae longo spatio declaravit. Quid subinde? Ambrosius explicat loco memorato: *Mansit ineger corpore, quem oleo quodam suæ præsentiae, & integritatis unguento Domini Mater exercuit*. Sed expendè, quæso, quæ civitas illa fuerit, in quam profecta Deipara dicitur Luc. 2. Toletus, & Baradas ex nostris, apud quos nonnulli alii verosimiliter judicant, fuisse civitatem Hebron, quæ Josue 11. 21. in montana locatur. Est autem vox Hebron mysterio gravis, quam multi exponunt Societas. Cur non ex hoc nominis Hebraici significatu primam Societatis nostræ gloriam in prima Deiparæ expeditione venari liceat? Quasi extunc Dei Mater præ oculis haberet minimam Societatis Familiam, ad illamque properaret, in ejus Protoparente sanctificandam, *oleo suæ præsentiae, & integritatis unguento* exercendam.

1905 Proverb. 31. 24. sic loquitur Rex Salomon de Virgine Matre (quam v. 10. appellaverat *Mulierem fortem*, Hebraicè *Mulierem catus*, sive *exercitus strenuorum*) *Sindonem fecit, ac vendidit, & cingulum tradidit Chanaanæ*. Sindon vestimenti genus est ex candido Lino optimi, non muliebris tantum, sed etiam virilis; uti similiter cingulum communitur viris, ac feminis. Utrumque à Deipara elaboratum, venditum, & traditum Chanaanæ, id est, *servo, humili, commutanti*, autumat. Quid hoc? Imò rogaverim, quid vulgarius, quam candida ex lino veste, & cingulo lumbos astringente castitatem designari? Obvia extant exempla multa & egregia: Luc. 12. 35. Apoc. 3. 5. & alibi sæpè. Igitur Maria hoc candidum castimoniam vestimentum, hanc puritatis zonam elaborare, tradere, & venditare congruè dicitur, quia ipsa exemplo suo hominibus præcipua extat castitatis, ac virginitatis magistra, sine cujus interventu nullum à Deo in nos beneficium proficiscitur. *Date ergo pretium, date vos ipsos* (monet hic Augustinus ser. 45. de diver.) & candida purita-

Apparet B. Virgo Ignatio, perfectamque imprimi castimoniam.

S. Ambrosius.

Casta Platanus arbor.

S. Ambrosius.

Baptista in vero Matris integritatis unguento à Virgine delictibus.

Prov. 31. 24.

Candente veste, & cingulo castitatis à Virgine elaboratis exornatur Ignatius.